



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

Articulus I. Quot sint genera Legatorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

## QUÆSTIO XXX.

## IN TIT. XXX. DE OFFICIO LEGATI.

**N**on agimus hic, nisi de Legatis Papæ, quo nomine veniunt 1. qui mittuntur à Pontifice ad actum aliquem expediendum; 2. qui mittuntur in aliquam Provinciam cum potestate administrandi ea, quæ sunt muneris Apostolici, & hoc modo sumitur nomen Legati præsentis titulo.

## ARTICULUS I.

Quot sint genera Legatorum?

2371. **R**esp. Legatos esse in triplici classe; nam aliqui sunt *Legati à latere*; alij, *Nuntij Apostolici*, seu *Legati missi*: alij *Legati nati*. Legati, & Nuntij (de quibus agitur in hoc titulo, & pluribus tractat Azor p. 2. l. 5. c. 28.) *quoad potestatem jurisdictionis*, sunt Ordinarij Provinciarum, & in eadem potestate, pro suis provincijs, in utroque foro, omnes Episcopos, Archiepiscopos, vel Patriarchas antecedunt; sunt enim illi, qui à Papa tanquam ejus Vicarij ad Ecclesias, & Provincias per totum orbem dispersas, mittuntur, ut ibi ædificent, & plantent, prout spirituali animarum saluti viderint expedire) *Legati à latere* dicuntur Cardinales, quos Romanus Pontifex ex Urbe, & Cùria Romana mittit, vel ad destinatam Provinciam administrandam; vel ad negotia cum Regibus, aut alijs Principibus tractanda; dicuntur *Legati à latere*, quasi emanantes à latere Pontificis, cui assistunt; possunt enim vocari pars corporis ipsius. *Legati nati* dicuntur Antistites, qui, ratione Ecclesiarum, quibus præfunt, legationem Apostolicam habent; qualis Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia; Rhemensis in Francia; Pituricensis in Aquitania Superiori. Illi ideo *nati* appellantur, quia statim (ut creantur in tali Ecclesia Præsules) id muneris, & officij nantiscuntur: *Nuntij*, seu *missi* dicuntur, qui Cardinales non sunt, sed Antistites missi à Pontifice ad Reges, vel Principes, vel aliquam Rempublicam, sive ad negotia aliqua expedienda; sive ut (tanquam Judices A-

postolici delegati) certas aliquas causas in ipsorum Principum Curijs, cognoscere, & judicare possint. Hos vocat Salas *de legib. Diss. 8. sect. 11. n. 51. Legatos constitutos, seu temporarios, ex c. placuit, 7. q. 1.*

## ARTICULUS II.

De Officio, & potestate Legati.

2372. **A**D rectam hujus officij, & potestatis cognitionem, not. 1. Legatum Papæ, qui est *de latere*, habere auctoritatem cognoscendi de omnibus causis, in provincia suæ legationis; quo differt à *delegato* Papæ; hinc in illis est Judex ordinarius; Zoësius *hic nu. 2.* & ideo egressus Romæ instar Pro-Consulis, cui comparatur, liberius jurisdictionem, tam *contentiosam*, quam *voluntariam* exercet c. *Legatos, 2. h. t. in 6.* Not. 2. officium, & potestatem Legatorum Papalium, potissimum colligi ex duobus capitibus, in quibus scilicet conveniunt, & in quibus differunt. Conveniunt autem 1. in hoc, quod omnes, cujuscunque sint generis, simpliciter *Legati* appellantur; *gloss. in c. statutum, de rescript. in 6. c. Privilegium, 4. de verb. signific. in 6.* secundò, quod statim, ut Urbe sunt egressi, accipiant legationis insignia, illisque utantur, ac in eam reduces deponant, c. 2. *h. t. in 6.* Insignia verò sunt, equus albus, vestes rubræ, frænum, & calcaria deaurata; sic Hostiensis: c. *antiqua, de privileg.* Tertiò, quod idem possit in suis provincijs sibi de mandatis, quod in sua Dicecesi Episcopus, habeantque jurisdictionem ordinariam, quam exercent jure suo, c. 2. *h. t. in 6.* ubi Clemens IV. *legatos*, inquit, *quibus in certis Provincijs committitur legationis officium*, ut ibidem evellant, & dissipent, ædificent, atque plantent: *provinciarum sibi commissarum, ad instar Proconsulum, ceterorumq; Præsulum*, quibus certæ sunt decreta provinciæ moderandæ, *ordinarios reputantes, præsentis declaramus edito*, commissum tibi à Prædecessore nostro legationis officium nequaquam per ipsius obitum